maledicus, effrenatus; pauciſſimis Dei verbis tam placidum, quam ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem; jam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam ſuam plenis manibus largientem. Da timidum doloris ac mortis; jam Cruces & ignes, & Phalaridis taurum contemnet. Da libidinoſum, adulterum, ganeonem; jam ſobrium, caſtum, continentem videbis. Da crudelem & ſanguinis appetentem; jam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da injuſtum, inſipientem, peccatorem continuò & æquus, & prudens, & innocens erit. ----- Num quis hæc Philoſophorum aut unquam præſtitit, aut præſtare poteſt? qui cum ætates ſuas in ſtudio Philoſophiæ conterant, neque alium quemquam, neq; ſe ipſos poſſunt facere meliores. Itaq; ſapientia eorum, ut plurimum efficiat, non exſcindit vitia, ſed abſcondit. Pauca verò Dei præcepta ſic totum hominem immutant, & expoſito vetere novum reddunt, ut non cognoſcas eumdem eſſe. Cùm igitur nulla ratio, vel ſcientia, vel lex benè vivendi, niſi in hac unica & vera, & cœleſti Sapientiâ, quæ ex ſolis ſacris ac piis libris hauriri poteſt, conſtituta ſit; conſtanti animo decrevi, cunctis Philoſophorum, Poëtarum, & Oratorum libris valere juſſis, uni deinceps adhærere aſſiduè Sacrorum & piorum librorum lectioni, præſertim *libri de Imitatione Chriſti*, quem mihi viæ ac vitæ Spiritualis comitem adſciſcam, parvi faciens gloriam vel ignominiam mundi, dummodò ad mentem Chriſto Salvatore noſtro dignam perveniam, & Ægyptum unâ cum ſuis & vitiis & delitiis velis remiſque effugiam.

M. Quò mihi charior es, hoc impenſiùs gratulor tuo tam ſalutari propoſito, quod, ſpero, vel citra meam operam, fortunabit provehetque ipſe Deus, qui dignatus eſt excitare. Hoc unum duntaxat te monebo, ut ſedulò caveas à præſtigiis, à blandiſſimis ludibriis, mille nocendi artibus & inſidiis, quibus mundus te, virtutum iter ſuſcipere meditantem, oppugnare tentabit. Nunc laudibus animum titillabit, nunc ignominiâ & pudore à ſancto propoſito avocare ſtudebit. At tu omnes mundi aperto Marte ſævientis inſidias facilè ſuperabis, ſi diligenter excuſſeris, quid mundus gloriam, ignominiam ac pudorem nominet? Laudaris; ob quid & à quibus? Si ob turpia, & à turpibus, illa vera falſa eſt gloria & vera ignominia. Vituperaris, rideris; quâ gratiâ & à quibus? ob probitatem, ob innocentiam, utique à malis; non illa eſt ignominia, ſed nulla verior gloria. Eſto licet, vel univerſus mundus explodat, exſibiletque, non poteſt non eſſe glorioſum, quod approbat Chriſtus. Et versâ vice, ſi quidquid eſt mortalium, applaudat atque acclamet, euge, euge, non poteſt non eſſe pudendum, quod Deo diſplicet. Ad hunc modum ſi omnes mundanorum curas, gaudia, ſpes, metus, ſtudia, laudes, vituperia, ſententias excuſſeris, invenies plena erroris omnia, dum bonum dicunt malum, & malum bonum, dum dulce faciunt amarum, & amarum dulce, lucem faciunt tenebras, & tenebras lucem, dum denique ad inaniſſima rerum ludibria, vicibus quibuſdam affectionum, iræ, invidiæ, amoris, odii, ſpei, metus, gaudii, doloris, quovis Euripo, & turbidiſſimo mari inquietiùs agitari, & continuò æſtuare ſolent. Macte igitur animo, dilectiſſime Diſcipule, Deum Optimum Maximumque precor, ut iſtam mentem, tuoſque ad virtutem egregios conatus ſervet, & tui honeſti propoſiti, cujus ipſemet Author eſt, incrementa felicia largiatur. Finem noſtris Colloquiis in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Sæculi decimi quinti his Verſibus Horatii, Poëtæ tibi familiariſſimi, impono:

Latiùs regnes avidum domando
Spiritum, quàm ſi Lydiam remotis
Gadibus jungas, & uterque Pœnus ſerviat uni.

Finis Tomi Sexti.

HISTORIA ECCLESIASTICA, VARIIS COLLOQUIIS DIGESTA,

UBI

PRO THEOLOGIÆ CANDIDATIS

RES PRÆCIPUÆ, NON SOLUM AD Hiſtoriam, ſed etiam ad Dogmata, Criticam, Chronologiam, & Eccleſiæ Diſciplinam pertinentes, per breves Interrogationes, & Reſponſiones perſtringuntur, & in præclaro ordine collocantur.

TOMUS SEPTIMUS,

COMPLECTENS
SÆCULUM ECCLESIÆ,
DECIMUM SEXTUM,

AUCTORE
FR. IGNATIO HYACINTHO
AMAT DE GRAVESON,
Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, & Collegii Caſanatenſis Theologo, Ord. Fratrum Præd.

EDITIO IN GERMANIA SECUNDA.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

Auguſtæ Vindelicorum & Græcii,
Sumptibus Fratrum VEITH, Anno MDCCXXVII.